DE

MACULIS CORNEAE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE OBTINENDIS
DIE IV. M. JUNII A. MDCCCXXXII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST
AUCTOR

FRANCISCUS EGON SCHUNCK
GUESTPHALUS

OPPONENTIBUS:

C. ARNOLDI, MED. ET CHIR. DR.
M. TYRELL, MED. ET CHIR. DD.
F. BREUNIG, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

NOBILISSIMO MAXIME

SPECTABILI

BARONI

F. E. Ā FUERSTENBERG,

REGIS BORUSSIAE CUBICULARIO PRIMI ORDINIS ETC. ETC.

SUMMA

PIETATE ET REVERENTIA

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Externarum corporis partium morbos atque vitia ex antiquissimis jam temporibus eximiam sibi medicorum attentionem acquisivisse, mirum non est, quorum prima jam initia ulteriorque decursus facillimum observationis objectum sistebant, et optimis, quibus nos utimur diagnoseos praesidiis, perspici poterant. Sed prae aliis hujus generis morbis praesertim oculi affectiones uberrimam neque ad nostra usque tempora exhaustam inquirendi materiem solertioribus naturae investigatoribus praebuit, non solum propter partis dignitatem, sed etiam propter insignes formae vicissitudines, quas singuli morbi, mutata natura, luculentissime atque constanter subeunt. Haec demum rerum jucunditas causa fuit, cur

corneae maculas mihi, ut satisfacerem legibus academicis, describendas eligerem, triste morborum genus, etsi vitae periculo careat, et quo sanando saepius medici atque aegroti impatientia, quam mali pertinacitas in causa est, cur medicinae praesidia non sufficiant. Ceterum si forte rem non tam accurate perfeci, quam fortasse oporteret, a lectore benevolo quam maxime peto, ut hisce litterarum primitiis bono animo indulgeat.

De maculis corneae.

Obscuratis partibus corneae dicas adesse maculas. Quae oriri solent ex partium oculi inflammatione non satis cohibita et exsudatum eoque maculas relinquente. Augetur enim, dum inflammatur oculus, inter corneae interstitia liquor, qui quidem oculo salvo vaporis formam tenet et commutatur sensimque in duram materiem, ita ut cornea opaca reddatur singulaeque ejus lamellae concrescant. Praeterea quorundam morborum universalium materiae, per corpus disparsae, cum vim in corneam exserant, eam obscurare possunt, e. c. arthritis, suppressi morbi cutanei, lues venerea, scrophulosis. Maculae, quae inflammatis oculi partibus resident, cum semel apparuerint, nulla medicina adhibita, non mutantur; si vero nascuntur causa adhuc praesenti, formam mutant, majores minoresve redduntur saepeque evanescunt, nullo medicamento in auxilium vocato. Corneae maculae non solum magis minusve deformem reddunt oculum, sed etiam videndi facultatem debi-

litant, cum locum, quem in cornea occupant, opacum reddant. Quare quo majores et quo propius pupillae ex adverso sitae sunt, eo magis videndi facultatem imminuunt. Plurimae maculae cum ex ipsa pupillae regione sint, quo minor est pupilla, quae lucis radios penetrare non sinit, eo magis acies oculi impeditur. In locis valde illuminatis prorsus nihil videt aegrotus, in obscuris non collustratis acutius, tempore matutino et vespertino acrius, quam meridie, res obscuras prae splendidis, remotas prae propinquis. Jamque quo albidiores canoque colori similiores sunt maculae, quippe quae lucis radios penetrare non sinunt, eo molestius aegrotus videt. Malum, quod, cum aegrotus ex obliquo res acutius videre soleat, vulgo gravissimum e corneae maculis oritur, si videndi facultas non omnino cohibeatur, luscitas est; sed hoc modo ortam luscitatem cura, ut distinguas a strabismo, in quo bulbus oculi moveri non potest, plerumque e vicinia bulbi aegrotante musculisque oculi affectis. Strabismi causa nunquam est in luscitate.

Corneae macularum plures distinguuntur species, prout varius earum color, prout cicatricibus sunt conjunctae aut non conjunctae:

I. Caerulea, lactis colori similis macula, quam vocamus maculam nephelium, in qua nunquam apparet cicatrix;

II. Macula cana vel macula achlys, quae quidem duplex esse potest, aut macula achlys, in qua

non inveniatur, aut macula achlys, in qua inveniatur cicatrix;

III. Alba corneae macula, vel macula albugo, quae oriri potest aut ex inflammatorio exsudato absque cicatrice, aut macula albugo cum cicatrice, quae dicitur leucoma;

IV. Arcus senilis, gerontoxon, annulus canus caeruleus in corneae margine, quo oriente corneae lamellae concrescunt. Huic similis est annulus arthriticus, quem in ipsis juvenibus ex arthritide laborantibus reperias.

Diagnosis.

Quidam medici, maculam nephelium, quod oculus morbi particeps est et inflammationis irritationisque signa nunquam omnino desunt, ophthalmiam albam vocarunt. Quae macula a ceteris differt tam eo, quod exacerbationes et remissiones habet, quam quod late extensa conjunctivam inter et corneae lamellam, propriam sedem obtinet. Exsudatum nondum coaluit, resorbetur et reformatur; quare macula celeriter et evanescit et redit sedemque haud raro mutat. Oculus lacrimis involvitur, et secretio glandularum, quae a Meibomio sunt denominatae, augetur. Vasa conjunctivae atque scleroticae amplificantur et rami quidam, adversus maculam extensi, par-

vulos ramos sub nomine vasorum nutritiorum in eam immittunt. Macula efficere solet opacitatem caeruleam haud ita circumscriptam, quae nunquam omnino non pellucida est, aegrotus enim res semper videt, sed nebula quasi involutas.

Macula nephelium magnam alit cum panno similitudinem, morbo scilicet membranae conjunctivae oculi plerumque late extenso, qui saepe conjunctivam corneae opacam reddit.

Macula achlys a macula nephelium eo differt, quod minoris et circumscripti ambitus esse solet neque formam mutat; conjunctiva sana est. Si plures adsint, inter eas sita est cornea pellucida, quod quidem in priori specie nunquam animadvertimus. Macula fusco et cano fere colore cum vasa nulla aut pauca certo habere possit, vulgo tamen nulla adesse videntur. Altiorem quoque sedem habet, quam macula nephelium; non raro accidit, ut macula sit in intima lamella corneae. Exsudatio, quae inter duas corneae lamellas fuit, desiit, ipsumque exsudatum nec liquidum nec durum, sed pene coagulabile est. Cornea saepius convexitatem aequabilem amittit singulaeque in ea prominentiae apparent, ita ut in hisce canis praecipue maculis accidat, ut cornea facieculis quasi instructa agat, ac si prisma esset. Resorptionem rarissime inveneris; quare opacitas semper una eademque est, plerumque nec augetur, nec minuitur, nec pellucidior nec obscurior fit. Macula achlys cum

cicatrice conjuncta saepe corneae laevitatem perdit. Ejusmodi cicatrices e corneae vulneribus nascuntur, et quo magis scissum aut contusum vulnus fuit, eo majoris ambitus sunt cicatrices; itemque e corneae ulceribus remanent. In cicatricibus hoc modo ortis semper lamellae corneae concrescunt; quo efficitur, ut laevitas, quam supra nominavimus, corneae exstinguatur. Pustulae corneae, quae alte sedent, semper cicatricem oblongam relinqunt, si autem in superficie corneae sint, cicatrix nunquam, macula achlys autem remanere potest. Annulus, qui e concretione lamellarum ortus, cicatrices circumdat, maximam maculae partem efficit. Maculae corneae, quarum causa in variolis est, plerumque cum cicatrice conjunctae sunt. Si plures maculae in media cornea sint, cave, ne hoc malum cum cataracta incipienti confundas; quare oculum non solum a parte anteriori, sed etiam a latere inspicias. Si de loco dubitatio relinquatur, instilles solutionem extracti belladonnae; pupilla quamquam dilatatur, macula tamen unam eandemque magnitudinem retinet, cataractam autem majori ambitu videmus. Multum quoque adjuvamur aetiologia.

Macula albugo et albo colore, et magna extensione a prioribus distinguitur. Plerumque eminet et constat e materia concreta, quae exsudata erat inter corneae lamellas; quae quidem materia in macula achlye gelatinae similis esse solet. Materies exsudata, quae corneae lamellas conglutinat, quasi cartilaginosa est, et salis phosphorici depositione in ossis

duritiem abire potest. Macula cum oritur, circumdatur vasorum corona, qua vasa parvula immittuntur in illam, quam obeunt sub nomine vasorum nutritiorum; postea haec vasa evanescunt, et non nisi macula restat. Majoris ambitus quam macula albugo sine cicatrice est leucoma, vel macula albugo, in qua invenimus cicatricem. Quae macula altius prostat, acuminata interdum; altissime vero eminentem maculam dixeris leucoma staphylomatosum. Cum pupilla in leucomate, ad quod plerumque accedit synechia anterior, clausa sit, aegrotus fere semper obcoecatus est. Cornea ipsa in leucomate semper mutata est; videmus enim in maculae loco non lamellosam structuram, sed tantum quandam, scleroticae simillimam.

Ad morbos, qui a maculis distinguendi sunt, pertinet etiam Suffusio corneae, quae ceratitidem comitatur, cum ea invalescit, iterumque, disparet. Plerumque totam tenet corneam eamque pelluciditate privat, deinde vero eam livido imo bruneo colore tingit. Raro inflammata cornea rubro colore tincta observatur. Alius decursus eam a maculis distinguit.

Arcus senilis, s. Gerontoxon, a ceteris corneae maculis forma differt. Obscuratio haec caerulea et fere cana, quae sub forma arcus non ita longe a sclerotica in corneae margine sensim sensimque inprimis apud senes apparet, aut superiorem aut inferiorem partem corneae, rarissime totam corneam circumdat, ejusque latitudo est dimidiae aut totius li-

neae. Quae cum semel apparuerit, nunquam immutatur, nunquam ad mediam corneam progreditur; quo fit, ut videndi facultas non cohibeatur.

Aetiologia.

Macula nephelium semper fere orta est ex oculi inflammatione catarrhali, quae male decurrit, sed causa etiam contagiosae oculi inflammationi atque scrophulosae, quae pannum saepius generant, inesse potest. Prior inflammatio maculam illam procreare solet in hominibus laxa corporis constitutione et in iis, qui laborant ex dyscrasia, praesertim si remedia sub unguenti forma tempore incongruo adhibita sunt. Macula achlys plerumque ex inflammatione oculi praecipue scrophulosa nascitur et macula achlys cum cicatrice originem ducit e corneae vulneribus ejusque pustulis, quae alte sedent, et e variolis. Macula albugo e vehementi corneae inflammatione oriri potest, quae exsudatum mox solidescens relinquit, sed non rarius eam ex abscessibus corneae et pustulis, quae turbidum puris liquorem, qui tandem in duritiem abiit, continuerunt, procreari invenies. Probabile est, puris fluidiorem partem resorberi, et materiem coagulabilem remanere, quae tandem lamellas corneae organice conjungat. Leucoma cum synechia anteriori conjunctum originem habet ex perforationibus

corneae, in quibus iris prolapsa est. Anterior oculi camera omnino evanuisse potest, quod saepe nobis occurrit, si praecesserit variolosa aut gonorrhoica aut contagiosa ophthalmia. Arcus senilis causam nos ignorare fatendum est. Sunt quidam medici, qui eodem modo, quo vasa apud senes ossificantur, oriri putent; alii pro marasmo corneae eum habent, sed nullius opinio sat gravibus argumentis mihi probata videtur.

Prognosis.

Macula nephelium est malum pertinax, et quo humidior aër, in quo aegrotus versatur, et quo diutius morbus jam adfuit, eo pertinacius. Melioribus ominibus prognosis fit, si morbus inveniatur recens, in robustis, adolescentibus, bona valetudine gaudentibus. Macula achlys, quamquam rebus faventibus sua sponte evanescere soleat, inprimis tamen facile exstinguitur apud adolescentes, si malum recens sit. Quae si diu adfuit, raro abolescit et non nisi praecesserit inflammatio.

Macula extenuata accuratius oculum non inspicienti evanuisse videtur. Non raro accidit, ut aegrotus aciem oculi saepe intendens acutius videat. Praeter luscitatem, quam saepe remanere videmus, pupilla interdum mirum quam longe a loco suo removetur,

cum in corneae pellucidam partem vertatur; tum corneae macula est minus molesta. In macula achlye, quae conjuncta est cum cicatrice, non nisi opacitatem periphericam vel annulum amovere valemus. Maculae albuginis prognosis nunquam faustum eventum sperare nos sinit, non solum ob ejus majorem extensionem sed etiam ob vehementiorem obscurationem, cum plerumque lucis radii per eam penetrare omnino non possint. Morbi recentis et simplicis prognosis faustior est. Nullo modo curari potest leucoma, est enim conjunctum cum cornea degenerata, cicatrice, ad quam non raro accedit synechia anterior. Arcus senilis prognosin ea ratione mala ave fieri dixeris, qua macula nunquam curari possit; ceterum videndi facultas nullo modo impeditur.

Therapia.

Ut macularum corneae varia est origo, sic quoque vario modo tractari debent. Quarum curatio ad hoc inprimis redit, ut mutetur atque amoveatur resorptione materies inter corneae laminas deposita; qui quidem processus arte excitari, sustentari et intendi potest.

I. Macula nephelium.

Maximae curae nobis esse debet, ut secretionem abnormen tollamus. Secretum ipsum certum sibi

locum nondum figit et sponte evanescit, si contigerit formationem ejus cohibere et statum oculi inflammatorium adhuc superstitem removere. Alium ergo esse curationis scopum, quam in ceteris maculis, in quibus praecipue morbi productum medici attentionem sibi poscit, facile apparet.

Ea ergo medicamina oculo applicanda erunt, quae secretionem cohibent et praesertim remedia adstringentia adhibeantur oportet; convenit praecipue solutio cupri sulphurici, et quidem cupri sulphurici gr j. in aquae destillatae ℥j — ji solutum. Quae solutio oculo non inflammato adhibenda est. Solutio aluminis est aeque apta, non ita bolus armena. Oculo purgando inserviunt decocta corticis peruviani, quercus, ratanhiae, corticis adstringentis brasiliensis, quae optime collata et sedimento libera esse debent. Opacitate recenti et non omni inflammatione sublata, mercurialia efficacissimum praebent remedium. Cavendum tamen est, ne organo ipso affecto applicentur; relaxant enim nimis sicuti alia unguenta ophthalmica facileque panno occasionem praebent. Aptissimae sunt, quas Jüngken commendavit, unguenti mercurialis aut calomelanos et opii saliva admixta infricationes in frontem et tempora. Kali carbonicum, quod Himly commendavit, non minus aptum remedium est in hac specie macularum corneae, et quidem solutio granorum duorum in aquae destillatae ℥j, dosin kali carbonici paulatim augendo. De Wal-

ther aliique medici hoc remedio non multum profici experti sunt.

Collyria cum in hoc gravi oculorum morbo minoris momenti esse videantur, efficaciora topica remedia in forma magis concentrata ita ut aut instillentur aut illinantur penicillo, adhiberi satius duxerim. Optime cedit tinctura opii crocata: et laudanum liquidum Sydenhami penicillo illitum, quin accrescat conjunctiva, impedit et ut resorbeatur exsudatum efficit. Inflammatio, ipsa applicatione laudani excitata, celeriter decurrit et inflammatoriam irritationem excipit aucta resorptio. Magnam quoque vim exercent Galbanum, Quajacum, ammoniata, gummi ferulae, quae remedia itidem resolutionem efficiunt; haec postea auctis quantitatibus laudano addas.

Dolendum est, curam interdum interrumpi accedenti inflammatione, quae nova vasorum retia conformat et exsudatum prolicit; quare, ne recidat morbus, diaetam commendare, et omnia, quae detrimenta esse possint, amovere velis.

Vasa maculae nephelium, cum abnormen secretionem efficiant, ut nova fiat resorptio, dissecanda commendaverunt. Vulnus quamquam sine magno periculo inferri potest, operatione tamen ipsa haud ita multum effici, experientia ipsa docemur. Macula quidem brevi tempore mirum in modum clarescit, et cornea ipsa non valde turbida est, sed sanguinis circuitus, qui in aliquod tempus desiit, aliquot post diebus novis vasibus ortis, redit et maculae novum

nutrimentum additur. Scarpa licet hoc primum detexerit, in eo tamen errore versatur, quod sanguinis circuitum, qui post aliquot dies redit, oriri putat dissectorum vasorum ostiis coeuntibus. Quod quidem omni analogiae repugnat, cum ostia dissectorum vasorum nullo modo concrescere possint; sed ramos dissectorum vasorum collaterales dilatari, multo probabilius est. Hoc certitudinem fere attingit, cum recens orta vasa multo minôra sint et nonnisi paulatim majora reddantur; hoc etiam accedente, quod eorum major quam veterum numerus est. Quare dissecando arterias aut nihil aut paucum certo profeceris.

Exceptionem a regula fieri dixeris, cum faustus eventus fiat, qui quidem ex eo pendet, quod orta inflammatio plastica reddatur, ita ut conjunctiva cum cornea coeat. Tum macula evanescît, extenuatur et remedia, quae supra nominavimus irritantia, felicem finem curae imponunt.

Scarpa dissectorum vasorum ostia concrescere putans, excisionem vasorum commendat. Aegroti caput fixum teneas, superiorem palpebram tollas, vasa subtili hamulo aut forcipe subtili protrahas et reseces, sed hanc operationem, cum pro vasibus resectis rami collaterales majori numero amplientur, ad irritum cadere, jam supra diximus. Si unum tantum aut pauca vasa adessent, boni multum ex hac operatione sperare liceret, sed vulgo major numerus adesse solet. Scarpa, si multa vasa adsint, circumcisio-

nem corneae commendat. Sed cum ex Scarpae opinione dissecta vasa concrescere possint, hac etiam operatione nihil proficiemus; quare, si operationem faustum trahere eventum velles, circumcisioni addenda esset excisio; sed haec operatio, quod non absque omni periculo est, huc usque a nemine est facta. Quare hanc operationem excisionis facias, adstringentibus remediis nihil valentibus; e qua ipsa operatione licet ita multum effectum iri non speraveris, saepe tamen adstringentibus remediis viam patefacies.

II. Macula achlys.

In hac quoque hoc inprimis nobis curandum est, ut resorptio materiae inter lamellas corneae exsudatae excitetur. Cum interdum vasa amplificentur, operationem quam modo nominavimus, adhibere tentarunt, sed minus utilis est, quod exsudatio quidem adfuit, sed jam evanuit. Melius igitur finem nostrum assequemur remediis, quae augent vim resorptionis, in quibus praecipue unguenta mercurialia et mercurii solutiones nominandae sunt. Optima sunt unguenta, quippe quorum vis constantior et vehementior est, jamque mercurialia difficilius solvi possunt. Utilissima sunt praecipitati rubri unguenta. Hufelandius commendat unguentum compositum e partibus aequalibus butyri vaccae insulsi, cerae flavae et praecipitati rubri. Quod unguentum cum vehementer irritet, non nisi oculo non irritato et parvis quidem quantitatibus adhibeas. Jüngken commendat unguentum, uti sequitur:

℞ Pulv. hydrarg. oxydat. rubr. alcohol. gr. iii.
Opii puri gr. jv.
Axung. porc. recent. ʒij.
Cerae albae. gr. xij.
M. exactiss. f. unguent. D. S. tempore matutino et vespertino pro dosi ad quantitatem ciceris oculo admovebis.

Sensim sensimque praecipitati rubri dosin augeri vult. Porro solutionem boracis oculo instillandam commendat, e. g.

℞. Borac. venet.
Sacch. alb. aa ʒß.
Extr. aloes aquos.
Extr. opii aa gr. vj.
solve in
Aqu. rosar. ℥ji.
M. D. S. Initio per diem semel, et quidem tempore vespertino, postea saepius de hac solutione oculo instillabis.

Zinci et cupri praeparata item commendantur; illa de Walther resorptioni eliciendae aptissima putat; haec minime. Hufelandius commendat zincum sulphuricum hac quidem formula:

℞. Butyr. recent. vacc. non salit. ℥ß.
Cerae alb. ʒß.
Merc. praec. rubr. gr. x.
Zinci sulphur.
Aeruginis aa gr. vjii.
Camphor. gr. vj.
M. f. unguentum.

Aptissimum quoque est sal ammoniacum in forma unguenti et solutionis; haec illo est melior, e. c. solutio salis ammoniaci depurati et sacchari aa ℈j in aquae menth. piperitae ℥j. Justissime porro adhibere potes spiritum Mindereri, et ammonium aceticum dilutum. Utilissimum denique remedium est kali hydriodicum in forma unguenti. Ut in corneae maculis medicamenta, cum solutorum vis nimis dividatur, optime in forma unguenti dantur, ita hoc quoque remedium aptissime in forma unguenti adhibebis. Oculo inflammatione libero statim hoc medicamento uti licet et quidem hoc modo, ut sumas kali hydriodici gr. x ad adipis excipientis ℥ß; deinde in quantitate majori.

Maxima cum utilitate in usum vocabis remedia amara, saponacea, resinosa, quae nominamus remedia resolventia, ut bilem et liquamen hepatis multorum animalium, e. c. liquamen hepatis mustelae fluviatilis, cujus fama jam diu celebrata est. In horum numero sunt porro succus expressus centaurei minoris, chelidonii, extractum conii melle ad formam un-

guenti compositum; et inter olea aetherea oleum baccarum juniperi.

Saepissime et utilissime quidem adhibentur tandem remedia mechanice irritantia, cum hac irritatione non nisi oculi inflammatio transitoria excitetur, in qua celerrime fit resorptio. Obscurationibus cum inflammatione conjunctis aut oculis nimis sensibilibus justo majorem vim exserentia nocent remedia.

Pluribus hujusmodi remediis utuntur, et quidem conchis praeparatis, saccharo, tutia praeparata et aliis. Utiliores sunt pulveres ophthalmici e lapide divino, calomelane, praecipitato rubro, addito opio et saccharo, quas Jüngken hoc modo commendat:

℞. Lapid. divin. vel calomel. gr. x.
Opii puri gr. vj.
Sacch. albi ℈ji.
M. f. p. alcohol. Sensim sensimque dosin lapidis divini vel calomelanos augendo.

Porro:

℞. Hydrarg. oxydat. rubr. gr. ji.
Sacch. albi ℈ji.
M. f. p. alcohol. Itidem paulatim dosin Hydrargyr. oxydati rubri augeas.

Baldinger adhiberi vult pulverem e partibus aequalibus sacchari subtilissime contriti, cremoris tartari et boli armenae, qui initio semel, deinde bis per diem oculo infletur. Quem pulverem non magnarum

virium esse putat de Walther; omnino autem hanc Baldingeri rejicit formulam:

℞. Borac. venet. ʒj.
Limat. stanni alcohol. gr. x.
Sacch. albi gr. xji.
M. f. p. subtiliss.

In macula achlye, quae diu affuit, saepe remedia, cum cura differatur, mutari debent. Malo pertinaci remediis causticis utuntur, et quidem solutionibus eorum dilutis, e. g. lapidis infernalis gr. ji. in aquae destillatae ℥ß, cujus aliquot guttae oculo instillentur. Efficacius est kali causticum, quare solvas gr ß in aquae destillatae ℥ß. Remedia caustica in non liquida forma, quippe quae non diffunduntur in magnam superficiem, adhiberi satius duxerim. Quare ubi vera cauterisatione opus est, adhibeas lapidem infernalem. Sed cura, ut cautissime hoc facias, et lapide infernali admoto, subtili penicillo oleo insparso, quod ex lapide infernali in liquorem abiit, abstergas. Aegrotus oculum in quartam horae partem claudat et tum demum aqua purget. Sed ut cautissime et obiter tangas, tibi suaserim, cum causticis illis remediis nihil delere sed resorptionem solam intendere velimus. In pueris et adolescentibus quamquam haec cura faustissimum trahit eventum, in illis tamen adhiberi non licet, ne recidat morbus si timendum est, e. c. si praecesserit ophthalmia scrophulosa. Maxime nocet, cum aegrotus, dum cura fit, oculorum aciem

intendat; quare ut aegrotus oculis parcat, omnino opus est.

Cicatrices cum omnino amoveri non possint, maculam achlyem cum cicatrice conjunctam quoque non nisi opacitatem periphericam respicientes, tractabimus; cura tum eadem est, ut in macula achlye absque cicatrice.

III. Macula albugo.

In hac omni arte non multum adjuvamur; malum enim difficilime semper curari potest. Hoc imprimis nobis est respiciendum, num materia exsudata jam coagulata, lamellis corneae agglutinata, corneaque ipsa degenerata sit. Curationem fore tantum speraveris, si malum recens, materia exsudata non justo major et cornea nondum degenerata sit. Remediis irritantibus caveas, ne initio utaris, cum resorptio non nisi exsudatum liquidum factum sit, fieri possit. Quare cura initium capiet e remediis oleosis, emollientibus, relaxantibus et resolventibus, in quorum numero sunt oleum recens expressum amygdalarum dulcium, oleum olivarum, oleum Cacao; sed maxima laus collata est in oleum nucis juglandis recenter expressum, quippe quod vim simul adstringentem habet. Porro adhibuerunt axungiam viperinam, aliasque pingues animalium substantias. Huc denique pertinent mucilagines e partibus singulis plantarum praeparatae, ut mucilago seminum cydoniorum, gummi mimosae, decocta mucilaginosa herbae malvae atque altheae, et alia. Olea initio bis

aut ter per diem subtili penicillo capillaceo maculae immittas, postea in oculum instilles. Jüngken commendat calidos vapores, quibus cautissime oculum involvas.

Curatione constanti vulgo duobus aut tribus interjectis mensibus macula albugo initio caerulea fit, primum in margine tum in medio. Remedia oleosa et pinguia efficere videntur, ut solvatur albumen non omnino coagulatum; opacitas quodammodo imminuitur et oculus fit sensibilior. Hic quae supra nominavimus remedia cum aliis irritantibus commutanda sunt. Kali hydriodicum inprimis probatum est; remedia autem irritantia non continuo sunt adhibenda, sed cum oleosis, quae modo diximus, commutanda; in ejusmodi enim corneae maculis remedia saepissime mutentur oportet.

Leucoma nullo modo curari potest, inprimis cum accedat synechia anterior. Remedia caustica et excisionem a quibusdam commendatam omnino repudiaverim. Per leucoma centrale et leucoma cum synechia anteriori et pupillam clausam saepissime licet, ut operatio fiat pupillae artificialis; haec tamen operatio ne instituatur, si aegrotus altero oculo bene utatur, cum videndi facultas impediatur eoque oriatur luscitas. Sed alterius oculi videndi facultate item impedita, ex operatione pupillae artificialis optima quaeque sperare licet.

VITAE CURRICULUM.

Ego Franciscus Egon Schunck, fidei addictus catholicae, Hüstensis, Guestphalus, anno MDCCCVII, die vigesimo octavo Decembris natus sum, parentibus Francisco Bernhardo Schunck et Maria Catharina, e stirpe Maiworm, quos ambos lugeo mortuos.

Primis litterarum elementis imbutus, Gymnasium Briloniense duos per annos frequentavi, quibus absolutis Arnsbergam me contuli, ubi tres per annos versatus, examine pro maturitate rite absoluto, academiam Rhenanam Bonnensem petii, ubi a Cel. Harlefs, t. t. facultatis medicae decano, numero hujus facultatis studiosorum adscriptus sum. Per tres annos his interfui praelectionibus:

Cel. Nees ab Esenbeck de botanice, Cel.

Goldfuſs de zoologia et zootomia, Cel. Bischof de chemia et historia ejusdem, Cel. Noeggerath de mineralogia, Cel. Harleſs de diaetetica, Cel. van Calker de logica et psychologia, Cel. a Münchow de physice experimentali. Anatomiam generalem et specialem mihi tradidit Cel. Mayer, osteologiam Cel. Weber; quibus ducibus quoque dissecavi cadavera. Encyclopaediam et methodologiam medicinae me docuerunt Cel. Windischmann et Cel. Müller, anthropologiam Cel. Ennemoser et Cel. Nasse, physiologiam Cel. Mayer, pathologiam generalem et semioticen Cel. Müller, materiam medicam et artem formulas medicas conscribendi Cel. E. Bischoff, chirurgiam, artem obstetriciam, instrumenta obstetricia, operationes chirurgicas et morbos mulierum Cel. Kilian, therapiam tam generalem quam specialem Cel. Nasse. Nec minus clinicum chirurgicum frequentavi apud Cel. Kilian.

Anno denique MDCCCXXXI tempore paschali ad hanc almam musarum sedem me contuli, et a Cel. Boekh, t. t. Rectore Magnifico in

numerum civium academicorum receptus a Decano Cel. Hufeland in album medicum relatus sum. Hic hasce frequentavi scholas: clinicum chirurgicum apud Cel. Rust et Cel. de Graefe, clinicum medicum apud Cel. Bartels et Cel. Wolff, clinicum ophthalmicum apud Cel. Jüngken et anatomiam pathologicam apud Cel. Rudolphi. Quibus viris omnibus, summe de me meritis, maximas habeo semperque habebo gratias.

Jam vero tentaminibus philosophico et medico, nec minus examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite absolutis, spero, fore ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Superfoetatio existit.

II.

Etiam cor sua fruitur quiete.

III.

Arteriae sanguinis circuitum retardant.

IV.

Non operandi modus, sed gradus tantum venena a medicamentis distinguit.

V.

Epispastica sunt remedia antiphlogistica.

VI.

Abscessus sic dicti frigidi, lympham genuinam non continent.

VII.

Arcus senilis non est morbus.